



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum, nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia excusarum, || Pars ...

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

Haimo <Altissiodorensis>

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1551

VD16 H 222

De confessoribus

urn:nbn:de:hbz:466:1-39335

DE CONFESSORIBVS. 715

sus est a patre, quem pro humani generis redemptione incarnati constituit) ad passiones mittimur in mundum. Inter scandala igitur persecutorum tolerantia sit passionum, terrenadesideria quæ separant a deo, fugientes, ut cælestia mereamur consequi præmia, Amen.

DE CONFESSORIBVS.

Matthæi XXV.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiscens, uocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alij duo, alij uero unum, unicuique secundum propriam uirtutem, & profectus est statim. Et reliqua.

IN similitudinibus, quas ad ignorantiam nostram instruendam dominus proposuit, solite considerandum est, quia sic quædam ad nostram proponuntur admonitionem, ut specialiter ad ipsum dei & hominum pertineant mediatorem. Quod in huius lectionis serie comprobatur, cum dicitur: [Homo quidam peregre proficiscens, uocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua.] Homo enim iste per similitudinem dominus Iesus Christus accipiendus est, qui cum sit deus ante secula, homo factus est in fine seculorū. De quo scriptum est: Homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Iste autē homo peregre profectus est, quando carnem suam quam ex ho

psal. 86.

ZZ iij

minibus assumpsit, ascendendo in cælum eleuauit. Et eodem tempore quo primo homini dictum est, Terra es & in terram ibis, proprie locus carnis terra est. Sed iste homo peregre profectus est, quia caro quam assumpsit, non corruptionem uidit, sed post resurrectionem in cælos ascendit.

Genes. 3. Huius hominis serui, homines sunt, quos ad sibi seruiendum, seque laudandum rationabiles condidit. Huic autem homini seruire, summa libertas est. ab eius seruitute recedere, turpissima seruitus est. Huius se seruum gloria batur Paulus cum dicebat: Paulus seruus Christi Iesu. Et iterum: Gratias ago deo meo, cui seruo a progenitoribus meis. Et

Rom. 1. Ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ.
Psal. 115. Psalmista: Ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ.
Psal. 118. Et iterum: Seruus tuus sum ego. Bona autem huius hominis, spiritalia dona sunt, id est, uirtutes animæ quæ de eius bonitate sunt natæ, & illius largitate nobis collatæ, qualis est charitas, pax, patientia, humilitas, castitas, sobrietas, & his similia.

Ergo peregre profecturus, uocatis seruis tradidit bona sua, quia spiritalibus spiritalia dona concessit. Et quia eadem dona non omnes æqualiter accipiunt, sed secundum dantis distributionem, alius plus, alius minus proficit, recte dicitur: [Et uni dedit quinque talenta, alij duo, alij uero unum, unicuique secundum propriam uirtutem, & profectus est statim.] Sicut talentum apud antiquos uarijs modis librabatur, ita dona spiritus sancti diuersa sunt iuxta accipientium merita, non in se, sed in alijs qui ea accipiunt. Nam ab uno domino diuersa dona seruis dantur, iuxta illud quod ait Apostolus Alij quidem per spiritum, datur sermo sapi

1. Cor. 12

entia, alij autem sermo scientia secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanctorum in uno spiritu, alij operatio uirtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, diuidens singulis prout uult. In quinque ergo talentis, quinque sensus corporis designantur, per quos exterior homo regitur, uisus uidelicet, auditus, gustus, odoratus & tactus, in duobus autem intellectus & operatio designatur. Et unius talenti nomine, intellectus solummodo exprimitur. Plus ergo accipit cui duo, quàm cui quinque talenta commissa sunt: quia sunt nonnulli qui per exteriores sensus opera quæ possunt operantur, & tamen in intellectu spirituali minus proficiunt: Sunt uero & aliqui, qui extrinsecus magna agunt, & interiora maiora intelligunt. Sunt etiam aliqui qui unum tantum talentum accipiunt, quia bona quidem in *Iere. 4.* intelligunt, sed operari minime student. De quibus scriptum est: Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. Quo autem studio in multiplicandis bonis operibus insistere debeamus, manifestatur cum subditur:

Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

Iam superius per quinque talenta, quinque corporis sensus: & per duo, intellectum & operationem diximus designari. Quintus ergo talenta ge

minare, est per exteriores sensus deuotissime deo seruire, tribuendo esurienti cibum, sitienti potum, nudo uestitum, in carcere positum requirendo, infirmum uisitando, mortuum sepeliendo, aliaq; pietatis opera implendo. quasi enim talenta multiplicando geminantur, quando nonnulli tardiores in sensu super consuetudinem boni operis, in intellectu spiritali proficiunt. Duo quoq; talenta geminant, qui bene uiuendo & docendo, ecclesiam dei multiplicare non negligunt, illud attendentes quod ad Timotheum scribitur: Doctrinam quam

2. Tim. 2. accepisti a me, commenda fidelibus hominibus, qui idonei sunt & alios docere. Taliter accepta talenta seruis spiritalibus geminare suadebat Apo-

Ro. 12. stolus, cum dicebat: Habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes: siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate.

Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam dñi sui.

Quasi enim unum talentum in terra abscondit, qui ingenium, quod a deo accepit, in terrenis actibus occupat, seseq; totum in mundi amore obligat. Sed ueniet tempus, quando spirituales de acquirendo lucro gaudeant, & mundi amatores pro suis cupiditatibus erubescant. Vnde & subditur:

Post multum uero temporis uenit dñs seruatorum illorum, & posuit rationem cum eis.

Post multum tempus dominus redire dicitur: quia longum spatiū est inter domini ascensionem & secundum eius aduentū. Tunc enim ratio cum seruis poneretur, quādo districtē a nobis exiget dona, quæ misericorditer nobis tribuit: quando astabimus ante tribunal Christi, ut Apostolus ait, rationem pro his quæ gessimus reddituri. Felix autem qui in illa hora discussionis talis inuentus fuerit, qualis iste memoratur, de quo subditur:

2. Co. 5.

Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque super lucratus sum.

Ex quinque enim talentis alia quinque lucratur, qui per quinque sensus corporeos, quos supra diximus, bona quæ potest operatur. Sunt enim nonnulli in ecclesia, qui cum tardiores uideantur ingenio, tamen cum per exterius ministerium fideliter seruiunt, eius munere ad spiritualem intellectum perducuntur, in tantū ut etiam aliquando in ecclesiasticum magisterium eligantur. Qualē autē mercedem sit recepturus, manifestatur cum subditur:

Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te cōstituiam: intra in gaudiū dñi tui.

Pauca enim sunt omnia præsentis uitæ ad comparationem futurorum bonorum, quanuis magna esse uideantur. Qui ergo super pauca fidelis fuit, super multa cōstituitur: quia is qui terrenam substantiam bene dispensauit, pro rebus transito-

Mar. 25. rijs perpetuam accipiet mercedem, audiens ab ipso iudice. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod uobis paratum est a constitutione mundi.

Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo super lucratus sum.

Similiter alia duo lucratur talenta, qui a domino duo acceperat, quando is qui intellectū & operationem habet, non solum bene uiuendo, sed etiam bene docēdo plurimos ad amorem dei uocat. ¶ Notandū autē quod & qui de quinque talentis decem, & is qui de duobus quatuor reportauit, equali uoce collaudantur, cum utriusque domino dicitur:

Euge serue bone & fidelis, quod est, bene gaude. Et qualiter seruus cum domino gaudeat, declaratur cum subinfertur:

Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Cui recte dicitur:

Intra in gaudium domini tui.

Quia cum tantis & pro tantis mercedem accipiet, quantos, bene uiuendo, bene docendo lucratus est. In quibus uerbis intelligimus, quia illi maiorem mercedem sunt a domino in eterna uita recepturi, qui bene uiuendo (ut diximus) & bene docendo, ad aliorum eruditionē uel doctrinam spiritaliter inuigilat. Quod alibi dominus apertius declarat, cum dicentibus apostolis, Domine, ad nos

Lucę 12. dicis hanc parabolam, an ad omnes? respondit: Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det

illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quam,
 cum uenerit dominus eius, inuenerit satisfacientem.
 Amen dico uobis, quoniam super omnia bona sua
 constituet eum. Qui enim super omnia bona con-
 stituitur, duplicem mercedem accipiet, non solum
 quia sancte uixit, sed etiam quia digne docuit. Vnde
 de Daniel cum de resurrectione mortuorum lo-
 queretur, ut ostenderet magistros spirituales su-
 per omnia bona constituendos, ait: Qui autem do-
 cti fuerint, fulgebunt quasi spendor firmamenti &
 qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in per-
 petuas aeternitates. Quam desiderabilem uocem
 & ineffabile gaudium audire desiderans beatissi-
 mus pater noster, cuius hodie festiuitatem celebra-
 mus, talentum sibi creditum bene docendo & be-
 ne uiuendo studuit erogare, ut geminatum illud
 domino reportaret, non tantum monendo pios, sed
 etiam comprimendo reprobos. Et ideo quia iuxta
 scripturam uocem, gaudium patris est filius sapiens,
 tanta huius excrescunt merita gaudiorum, quan-
 ta incrementa proficiunt spiritualium filiorum. Vnde
 necesse est ut unusquisque nostrum fratres charis-
 simi, huius beatissimi patris nostri uestigia sequen-
 tes, talentum quod a deo accepimus, non in terra
 abscondamus, sed cum magno desiderio erogare
 studeamus ut geminatum domino referamus. Et
 quia alius artem legendi, alius cantandi, alius praed-
 icandi, alius pingendi, alius ea quae ad ornamen-
 tum ecclesiae pertinent fabricandi talentum acce-
 pit, alijs hoc quod didicit studeat erogare. Nec so-
 lum in ecclesiasticis ministerijs, sed etiam sunt tales
 in hoc populo, qui diuersas artes habent quibus ui-

Dan. 12.

732 DE CONFESSORIBVS

Et itant: alij cæmentarij, alij lignarij, alij fabri, alij setores, & unicuiq; ars qua pascitur, pro talenti cõmendatione reputabitur: & si in hoc quod scit, alios instruit, mercedem in futuro recipiet. Qualiter autem huiusmodi talentum quod accepit, erogare debeat, dominus ostendit cum ait: Gratis accepistis, gratis date. Vnde necesse est fratres dilectissimi unicuiq; nostrũ, ut cum summa diligentia uigilanter cogitet, quatenus talentum quod accepit, duplicatum domino repræsentet. si autem suæ talentum utilitatis prodesse alijs nõ uult, timeat increpationem quam is, qui talentum unum in terra abscondit, a domino audiuit.

Matt. 10

Serue male & piger, quare non dedisti pecuniam meam nummularijs, & ego ueniens, recepissẽ utiq; quod meum est cum usura? Et implebitur quod sequitur:

Tollite ab eo talentum, & date illi, qui habet decem talenta. Iquia quæcunq; sine charitate operatus est, bona in conspectu dei non sunt, quãuis bona coram hominibus uideantur. Tanto em̃ quisq; ampliorem gloriam cum domino possidebit, quanto largius talentum acceptum pro eius amore erogauerit. quod ipse præstare dignetur, qui cum patre & spiritu sancto uiuit &c.

DE CONFESSORIBVS

Lucæ XII.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus uestris. Et reliqua.

INter ceteras uirtutes, quas dominus noster Iesus CHRISTVS discipulis tradidit, & per discipulos nobis, maximam & precipuam castitatē ostendit. Nam cum superis ad spontaneam paupertatem amandam nos incitasset dicens: Facite uobis sacculos qui non uetera sunt, thesaurum nō Luc. 12. deficientem in cælis, quo fur non appropriat, nec tinea corrumpit, cōtinuo de seruanda castitate adiecit, dicens: [Sint lumbi uestri præcincti.] Quod enim luxuria uiris in lūbis sit, & fœminis in umbilico, dominus testatur, cum de diabolo loquitur ad beatum Iob: Virtus eius in lūbis eius, & fortitudo illius in umbilico uentris eius. Lumborum ergo nomine hic luxuria designatur, cū dicitur: [Sint lumbi uestri præcincti,] Lumbos enim præcingimus, cum ardorē libidinis amore castitatis refrenamus. Taliter lumbos præcinctos habebat Iohannes baptista, de quo scriptum est, quia erat uestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lūbos eius. Nec erat de immūdis, qui propter fluxum seminis eijciebatur extra castra: sed castitatem quam in mente habebat, in ipso habitu corporis demonstrabat: Sic & Elias zonam circa lumbos habebat. Qui enim non propter amorem filiorum iunguntur, sed propter libidinem explēdam, lumbos præcinctos nō habent, sed potius de illis sunt, qui propter immūditiam extra castra eijciuntur, comparati iumentis insipientibus. Qui uero tollens membra Christi, facit ea membra meretricis, nequaquam lumbos habet præcinctos: quoniam sicut uere ait apostolus Paulus, Sine pace & castimonia nemo uidebit deum. Iob. 40. Marc. 1. Heb. 12. Quantum enim incorruptio carnis ædō

Isais 6.

Placeat, ipse per prophetam testatur, dicens: Hæc dicit dominus eunuchis: qui custodierint sabbata mea & elegerint quæ uolui, tenuerintq; fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum nominatum, & nomen melius a filijs & filiabus, nomē sempiternum, quod non peribit. Et in

Apo. 14.

Apocalypsi de talibus dicitur. Hi sunt qui cum uirginibus non sunt coinquinati, uirgines enim sunt. Quod cum omnibus fidelibus generaliter obseruandum sit, specialiter tamen ministris ecclesiastici ordinis custodiendum iniungitur, quando iu ueteri lege carnes agni, qui in figura corporis & sanguinis domini immolatus est, non prius comedere permitti sunt, quam renes accinctos haberent,

Exod. 12

domino dicente: Sic ergo comedetis illum: renes uestros accingetis, calcamenta habebitis in pedibus. Item, Dixit dominus ad Moysen: Loquere ad

Leu. 21.

Aaron, & ad filios eius: Homo de semine uestro, in quo fuerit macula, non accedat ad altare. Si gibbus fuerit, si lippus, si albuginem habens in oculo, si impetiginem in corpore, uel iugem scabiem, si cæcus fuerit uel claudus, si fracto pede uel torto naso, si fuerit ponderosus uel herniosus. Qui enim sacra mysteria manibus tractare & alijs ministrare debent, dignum est ut ab omni immunda pollutione sint alieni, ut scilicet & mente sint casti, corpore pudici. Quod in opere David discimus, qui cum uenisset ad Achimelech sacerdotem, non prius panes sanctificatos accipere uoluit, quam se suosq; mundos a mulieribus testaretur, non utique solum ab alienis, neque a concubinis, sed etiam a proprijs uxoribus. Ait enim

1 Re. 21.

scimus, qui cum uenisset ad Achimelech sacerdotem, non prius panes sanctificatos accipere uoluit, quam se suosq; mundos a mulieribus testaretur, non utique solum ab alienis, neque a concubinis, sed etiam a proprijs uxoribus. Ait enim

Et quidē si de mulieribus agitur, continemus nos ab heri & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt uala puerorum munda. Quapropter consideret unusquisque conscientiam suam, & si te incontinentem tenuerit in corpore, abstineat se a sacra communione, ne forte ad iudicium accipiat, quod fidelibus datum est ad remediū, timens illud quod terribiliter clamat Apostolus, dicens: **1. Cor. 11.** Quicumque manducauerit panem, uel biberit calicē domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini. Prober autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Vel certe aliter lūbos præcingimus, cum omnia impedimenta mundi post ponimus, ut in uia mādatorū dei, gressum mentis firmiter figere ualeamus. Qui enim discit stus est, ipsis suis uestimentis impeditur ne libere ambulet. Qui uero præcinctus est, quaquaerius liber discurrere potest. Præcingitur ad prælium miles, & circa renes gladium portat, quo aduersarium suum percutiat. Et tu ergo qui cupis esse miles dei, præcinge lumbos tuos, id est, omnia fluxa & impedimenta mundi postpone, ut pugnare ualeas non aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitie in caelestibus, ut impleatur in te quod idem **APOSTOLVS Ephs. 6.** subiungit: State ergo succincti lumbos uestros in ueritate, & induti lorica iustitie, & calceati pedes in præparationem euangelij pacis. Taliter miles castrorum lumbos præcinxerat, quando

- Iob. 38.** ^audiuit: Accinge sicut uir lumbos tuos. Vnde & in
& 40. laude ecclesie dicitur: Accinxit fortitudine lum-
Pro. 31. bos suos, & roborauit brachium suum. Quisquis
autem talis est, alijs ad exemplum imitationis pro-
Luc. 8. ponendus est, quia sicut ait dominus: Nemo accen-
& 11. dit lucernam & ponit eam sub modio, sed super
candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.
Vnde postquam dixit, [Sint lumbi uestri præcin-
Matt. 5. cti & lucernæ ardentes,] quid per lucernas, nisi
opera bona designantur? Lucernas ardentes habe-
re, est bona opera alijs ad imitandum ostendere,
iuxta illud quod dominus alibi ait: Luceat lux ue-
stra coram hominibus, ut uideant opera uestra bo-
na, & glorificent patrem uestrum qui in cælis est.
¶ Considerandum autem illud est, quod duo sunt
quæ præcipiuntur, lumbos s. præcingere, & lucer-
nas ardentes habere: quia nec castitas prodest si-
ne bono opere, nec bonum opus aliquid ualet si-
ne castitate. Primum enim præcipimur lumbos re-
stringere, & post lucernas tenere: quia ille ad alio-
rum exempla promouendus est, in cuius pectore
salutaria desideria uigent, & cuius mentem carnâ
lis uoluptas non occupat. Quod in lege præfigu-
Nu. 8. ratum est, cum per Moysen præcipitur, ut leuitæ
usque ad quinquagesimum annû ministrent, post
annum uero quinquagesimum custodes uasorum
sint, legitimam tempus attendentes, siue ad regen-
dum, siue ad officium prædicationis suscipiendû.
Matt. 6. ¶ Sed quæritur, quare præcipiat lucernas tenere,
cum alibi dicat: Tu autem cum oraueris, intra in
cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tu-
um. Ad quod dicendum, quia illis præcipitur bo-

num opus ad exemplum aliorum ostendere, qui tam perfecti sunt, ut ab hominibus laudati non extollantur. Illis autem, qui imperfecti sunt, aut quos fauor humanus extollit, præcipitur: Tu autem cum **Matt. 6.**
 ora ueris, intra in cubiculum tuum. Et, Cum facis elemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Et quia iuxta Iohannis uocem, Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus in die iudicii, quicumque lumbos habent præcinctos & lucernas ardentis, aduentum domini non tam timere debent quam diligere. Vnde & subditur:

1. Ioh. 3.

Et uos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur a nuptijs, ut cum uenerit & pulsauerit, confestim aperiatur ei.

Ad nuptias quippe dominus noster abiit, quando ascendens in caelum, multitudinem angelorum nouus homo sibi sociauit. Tunc autem reuertetur ad seruos suos, quando per iudicium manifestari coeperit. Siue aliter: Certe dominus nobis quotidie uenit, cum conscientias nostras per suam gratiam uisitat, & cor nostrum suo amore inflamat. Pulsat uero, quando per ægritudinis molestiam, uicinam mortem denunciat. Cui ille statim aperit, qui lætus de corpore exit, & eius speciem, quem semper desiderauit, uidere concupiscit. Pulsanti iudici a perire timet, qui eius præceptis se minime obtemperasse cognoscit; & uidere eum exiens de corpore trepidat, quem contempsisse se meminit: & quasi uidere iudicem metuit, cuius iussis se obtemperasse non cognoscit. Sicut enim iudicis aduentum in ciuitate eius iusti diligunt, fures & latro-

AAA

nes timent: ita & aduentum domini illi timent, qui eius præceptis se minime obtemperasse sciunt. Si autem illi diligunt, qui recte se uiuere recolunt: quod illorum est facere, qui uitam suam quantum humana fragilitas patitur, inculpabilem custodiunt, & cor suum de terreno amore in caelestis patriæ gaudio ponunt. Talis erat Paulus apostolus, qui de bonis actibus securus, dicebat: Ego autem iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruauit, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Et iterum: Cupio dissolui, & esse cum Christo, multo melius. Et rursus: Vno autem iam non ego, uiuit uero in me Christus. Taliter pulsanti iudici beatus Martinus aperire paratus erat, quando inter a gritudinis molestiam constitutus, discipulorum fletibus commotus, dicebat: Grauis est domine pugna laboris qua huc usque certavi, sed si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso propter eos subire laborem, fiat uoluntas tua. Talibus qualis remuneratio præparata sit, dominus manifestat cum subdit:

Beati serui illi, quos, cum uenerit dominus, inuenerit uigilantes.

Vigilare enim est, in bono opere uuumquęque sollicitum esse. Ille uero bene uigilat, qui recte credit, & recte uiuit. uigilat, qui ad aspectum uerissimi aperti tenet oculos mentis, uel certe uigilat, qui torporem & negligentiam a se excutit, & diuinis mandatis ardenti animo inhæret. Taliter Paulus apostolus uigilare monebat, quibus dice-

2. Ti. 4.

Phil. 1.
Gal. 2.

bat: Euigilare iusti, & nolite peccare. Et iterū: Ho-
ra est iam nos de somno surgere. Et rursus: Vigila
te & orate, & state in fide: Adhuc etiā ipsius re-
munerationis qualitas insinuat, cum subditur:

Amen dico uobis quod præcinget se, &
faciet illos discumbere, & transiens ministra-
bit illis.

Præcingi uero dei, est ad retributionem se præ-
parare. Nostrum autem discumbere, est in æterna
beatitudine quiescere, iuxta quod ipse alibi ait:
Multi uenient ab oriente & occidente, & recum-
bent cum Abraam & Isaac & Iacob in regno cæ-
lorum. Transire uero dicitur, cum post iudicium
ad regnum properat. Vel certe dominus transiens
nobis ministrabit, cum de forma humanitatis us-
que ad contemplandam claritatem diuinitatis, nos
perducat. Omnibus em̄ in iudicio in forma huma-
nitatis apparebit, iustis s. & iniustis, sicut scriptum
est: Et uidebit omnis caro salutare dei nostri. Sed
reprobis iusto iudicio damnatis, iuxta illud quod
scriptum est: Tollatur impius ne uideat gloriam
dei, solis electis transiet, quos de uisione huma-
nitatis usq; ad contemplandam claritatem diuinita-
tis sublimabit, ut qui modo intuentur tantum ho-
minem, tunc facie ad faciem mereantur uidere de-
um, qualiter pater in filio, & filius manet in patre.
Sed quia omnibus præsentis uitæ terminus incer-
tus est, recte subiungitur.

Et si uenerit in secunda uigilia, & si in ter-
tia uigilia uenerit, & ita inuenerit, beati sunt
serui illi.

AAA ij

1. Cor. 13
Rom. 13

Matt. 8

Isaie 40
Luce 3

Antiqui enim noctem in quatuor uigiliis diuidebant, ita ut unaquæq; uigilia trinas haberet horas. Varietates namq; horarum diuersitatem significant humanæ uocationis. Prima enim uigilia, primæuum est tempus nostræ ætatis, id est, pueritia. Secunda uigilia, adolescentia uel iuuentus, quæ pene idem sunt, Salomone dicente: Letare iuuenis in adolescentia tua. Tertia uigilia, senectus est. Cum uero dominus nonnullos in pueritia bene operantes ab hac uita uocat, quasi ad seruos uigilantes in prima uigilia uenit. Cum uero alios in adolescentia, uel in iuuentute ab hac uita ducit, quasi in secunda uigilia uenit. Si quis ergo in prima uigilia uigilare noluerit, saltem hic in secunda uigilet, id est, si quis in pueritia a bono opere torpuit, saltem in adolescentia uel iuuentute somnum corporis a se excutiat, & dum uirtus corporis uiget, in bono opere se exerceat. Si quis autem tam negligens & desidiosus fuerit inuentus, ut nec in prima nec in secunda uigilia uigilauerit, saltem in tertia, id est, in senectute iam resipiscat, & tunc uigilare nō timeat, cum parum uigilaturus est. Neq; enim sero conuersos diuina pietas despicit, qui per Prophetam ait: Vivo ego, dicit dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Et iterum: Peccator quacunq; die conuersus fuerit & ingemuerit, saluus erit. Sed quia solet antiquus hostis in hac parte tepidos decipere Christianos, ut quibus suadet culpam, longam promittat uitam, adhuc dominus admonendo similitudinem incertis finis subdit, dicens:

Hoc autem scitote, quoniam si sciret pa-

Eccles. 11
Iere. 18.
& 35.

terfamilias qua hora fur ueniret, uigilaret uti
que, & non sineret perfodi domum suam.

Iuxta literam ita est, quia paterfamilias thesau-
rum reconditum habens in domo, si furis aduen-
tū sciret, uigilias instrueret, custodias adhiberet,
infirmiora loca muniret, & ne sua domus aliqua
fraude perfodi posset, sollicitus præcaueret. Spiri-
tualiter autem paterfamilias iste, noster est animus,
qui tunc male securus dormit, quando diem mor-
tis obliuiscens, a bono opere torpet, & breuissi-
mum tempus uitæ præsentis, quasi longum sibi
promittit. Furis autē aduentus mors est, quæ im-
prouisa subito dum non speratur ueniens, thesau-
rum animæ nostræ ad pœnas rapit. Huius ergo fu-
ris aduentum, ut præcauere possimus, necesse est
ut diem mortis semper ante oculos habeamus.
Multum enim nos aduersus peccatum iuuat, si fi-
nis uitæ a memoria non recedat, monente scriptu-
ra In omnibus operibus tuis memorare nouissi-
ma tua, & in æternum non peccabis. Vnde & do-
minus admonendo subiungit, dicens:

Et uos estote parati, quia qua hora non
putatis, filius hominis ueniet.

Si autem terminum uitæ nostræ sciremus, aliud
tempus pœnitentiæ deputaremus. Cum uero omni-
bus incerta sit hora mortis, non debet esse consci-
entia secunda a bono opere: quia dominus omni-
potens qui neminem uult perire, sed omnes ad
cognitionem ueritatis uenire, ideo uoluit nos la-
tere ultimum diē, ut dum ignoratur unus, obser-
uentur omnes. Quod autem ait, [quia qua hora

non putatis, filius hominis ueniet, I si ad diem iudicij referamus, manifestum est, quia incertus est omnibus & incognitus, sicut ipse dicit in euangelio: De die autem illa & hora nemo scit, neq; angeli in celo, neq; filius hominis, nisi pater solus. Et iterum: Sicut fuit in diebus Noë, sic erit aduentus filij hominis. Et rursum: Sicut fulgur egreditur ab oriente, & penetrat in occidentem, sic erit aduentus filij hominis. Et post suam resurrectionem, querentibus discipulis ait: Non est uestrum nosse tempora & momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Hinc Petrus apostolus dicit: Dies domini sicut fur in nocte, ita ueniet. Sed quod tunc generaliter futurum est omnibus in resurrectione animarum & corporum, quotidie fit singulis animabus. Dum enim non putamus, filius hominis uenit, quando subita morte præuenit, ipsum habemus terminum peccandi, quem & uiuendi. Et dum mala non deserimus, sed a malis deserimur, seram agimus penitentiam, non attendentes illud quod scriptum est: Ne tardes conuerti ad deum, neque differas de die in diem, ne subito ueniat ira eius, & in tempore uindictæ disperdat te.

DE VIRGINIBVS.

Matth. XIII.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscondit. Et præ gau-